

re, nomine Papæ signantur per quemdā officialem in forma concessum, quod scilicet dicitur *concessum* per Dominum Papam tanquam per viam attestationis, ut è conuerso supplicationes, quæ signantur per ipsummet Papam, habent diuersam formam per verbum *fiat ut petitur*, ac iuxta illam diuersam subscriptionem, commissionum forensium, si fiat per viâ Signaturæ Gratia ac alteram Signaturæ Iustitiæ ut in istorum Tribunalium particulari rubrica inferius aduertitur.

Iste verò modus signandi commissiones per concessum, quandoque in grauioribus etiam gratijs & negotijs, in quibus supplicationes signantur manu Papæ, practicari solet, quando Papa infirma valetudine, vel alio impedimento detentus id per se ipsum commodè explicare non potest, Atq; dum hoc munus alicui Cardinali vel alteri nimium qualificatæ fiduciaræ personæ per ipsum Papam committi solet, neque de potestate dubitare fas est.



De Cardinali Vicecancellario; Et de Cancellariæ Apostolicæ officialibus, eorumque muneribus.

S V M M A R I V M

- 1 **Q**uod istud officium sit antiquissimum, & de ratione.
- 2 De nomine seu vocabulo Vicecancellarij, & cur ita dicatur.
- 3 Quod sit officium magnæ existimationis, & utilitatis.
- 4 Habet titulum fixum Sancti Laurentij

in Damaso, & ibi annexum insigne Palatium.

- 5 Quæ munera exerceat, siue in quo eius officium versetur.
- 6 Notabilia producit emolumenta, & quæ sint magis considerabilia.
- 7 De cedula consistorialibus super provisionibus Ecclesiarum, & alijs.
- 8 In eius cancellariæ Palatio efformantur etiam omnes bullæ seu literæ Apostolicæ.
- 9 De officialibus Cancellariæ nempe de Regente, de Præsidentibus parci, & alijs, eorumque munere.
- 10 Ista officia sunt venalia, & de ratione remissuè.
- 11 De introductione annatarum, & emolumentorum pro expeditionibus literarum Apostolicarum.
- 12 De congregatione officialium, & expeditorum in Cancellaria.
- 13 In Palatio Cancellariæ fiunt disputationes publicæ Auditorum Rota, & Advocatorum Consistorialium.
- 14 Quam Præsidentiam habeat Vicecancellarius Rota Auditorio.
- 15 De officio Regentis Cancellariæ circa commissiones causarum.
- 16 Officiales Cancellariæ quam facultatem habeant adijciendi in literis præter supplicationes.
- 17 An possint prorogare terminum expeditionis literarum.
- 18 Quod quedam emolumentorum absequutio pendeat ab arbitrio Collegij Cardinalium.
- 19 Deductis auri, & de florenis remissuè.
- 20 De taxis Cancellariæ.
- 21 De taxis arbitrarys, & varijs.
- 22 Damnatur obloquentes de solutione, quæ fiat pro dispensationibus.

D I S C. X.



Antiquissimum, atque probabiliter omnium primū, in ipso initio primitiæ Ecclesiæ, dicendum videtur istud officium (neglecta tamen nominis seu vocabuli quæstione), quoniam, si pro baptismatibus, alijsque diuinis, ex tunc, sub asperis persecutionibus, plures clerici (ex

(ex quibus deriuant Cardinales) A pro adiutorio Papæ assumpti fuerunt, ac etiã Archidiaconus, pro aliqua temporali administratione; Nec nõ creati fuerunt septẽ Notarij, vt Martyrum acta scriberent B; Multo magis dicendum est, quod in ipso initio, ante istorum officialium, seu ministrorum introductionem, ab ipsomet B. Petro adhibitus fuit Cancellarius pro scribendis epistolis, alijsque Apostolicis monitis, & decretis, ac etiam actis aliquorum Conciliorum, quorum vsus cum ipsa Ecclesia natus fuit, vt acta Apostolorum, aliæque sacræ historiæ, & epistolæ B. Petri nos docent.

Relinquendo autem locum veritati, super inutili nominis quæstione, super qua antiquitatis professores adeo certant; Certum est, quod valde antiquum est istud, quod etiam hodie habemus, nomen, seu vocabulum Vicecancellarij, quodque istud officium fuerit cardinalitium, dum etiam primi Canonistæ, & præsertim *Hosienfis*, qui penè coætaneus fuit ipsi Decretalium compilationi, super isto vocabulo quæstiones disputant, tanquam super re ignota, quod utique supponit, vt etiam tunc longam haberet antiquitatem, ob quam hominum memoria perierit, quare scilicet Vicecancellarius iste officialis appellaretur, dum plura antiquiora Apostolica diplomata docent, quod prius, Cancellarius appellaretur, atque hoc adiectum, seu verbum *Vice*, potius munus substituti ac inferioris ministri redolere videtur.

In hoc autem, apud antiquos scriptores, variæ leguntur simplicitates, quarum aliqua per moderniores, tabellæ appellantur C; Aliqui enim credunt, (quorum antesignanus est *Hosienfis*) quod dicatur Vicecancellarius, ad differentiam Papæ, qui est primus Cancellarius Christi; Alij verò, (quorum primus est *Zabarella*) dicunt, quod suppressum fuerit nomen Cancellarij, ad deprimendam magnam auctoritatem, ac existimationem huius officialis, qui contra Papam, caput erigebat, pluraque eius acta, & mandata scribere renuebat; Et alij moderniores,

reassumendo diligenter partes Chronologistæ, dicunt, quod antiquus erat munus cardinalitium, sub nomine, seu vocabulo Cancellarij; Postea verò quidam Pontifex, vt ministrum magis promptum, ac subordinatum haberet, illud contulit Prælato, vel simplici clerico, vt illud exerceret tanquam substitutus, vel vicegerens, atque ita per sæculum circiter continuatum fuit, deindeque restitutum Collegio Cardinalium seu cardinalitæ dignitati, continuatum fuit in eo ultimo vocabulo, quod tunc in vsu erat.

His autem, ac similibus diuinationibus, vel fabellis, alia addi posse mihi videretur, deducta à praxi insinuata, *disc. præcedenti*, quam actualiter habemus in Datario, & quandoque in Secretario breuium, vel alio simili munere, quod scilicet, quando exercetur per Prælatum, vel clericum, qui maiori cardinalitæ dignitate præditus nõ sit, appellatur Datarius; Quando verò per Cardinalem, dicitur Prodaturius; Ergo istud adiectum, quod partes vicarias denotat, non semper statum inferiorem importat, sed potius digniorem, vt *d. disc. præced.* ponderatur.

Quidquid autem sit de istis, alijsque similibus indagationibus, quæ ad rem nostram inuites reputari merentur, Certum est, quod tam inspecto muneris exercitio, quam emolumentorum utilitate, ac existimatione, inter Romanæ Curie officia fixa, & hierarchica, primum locum occupare videatur, ideoque aliquorum nouissimorum sæculorum continuata praxis docet, semper fuisse penes eos, qui dictum aliud extraordinarium, primum Curie officium Cardinalis nepotis obtinerent, vel exercerent, de tempore quo casus vacationis per obitum possessoris contigit.

Magna siquidem est eius prærogatiua, non solum quia conspicuum habet fixum titulum insignis Ecclesiæ collegiatæ quæ S. Laurentij in Damaso dicitur, nimumque commodam, & conspicuam habitationem, in insigni, vereque Regio palatio, quod Cancellariæ dicitur, in quo, tanquam in palatio publico, seu principatus,

patûs, ipsa Cancellaria, tanquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliæque publicæ (vt infra) peraguntur functiones.

Sed etiam quia, primaria, & grauiora Sedis Apostolicæ negotia, publicæ, & solemnia, qualia sunt acta consistorialia, in ipsius Consistorij rubrica insinuata, ac etiam aliarum Apostolicarum prouisionum literæ solennes in forma bullarum sub antiquo sigillo plumbi, per eius manus trãseunt; Adeo vt dicendus veniat (data proportione) Cancellarius Episcopi vniuersalis, eo modo quo in singulis diocesisibus, quilibet Episcopus habet Notarium, seu Cancellarium maiorem, qui acta synodalia, & iudicialia, ac etiam pontificalia conscribit, & authenticat.

Atque hinc manat etiam (procurrentium tẽporum moribus!) alia nimis existimationis circumstantia, notabiliu scilicet emolumentorum, inter quæ illud reputatur valde considerabile, quod ad ipsum, siue sit per quandam speciem turni, siue per aliam conuentionem cum Papa, pertinere solet collatio aliquorum Cancellariæ officiorum, etiam de maioribus, ac prælatiis, quæ venalia sunt, ratione emolumentorum, valdeque notabilem habent valorem.

Super actis igitur, ac decretis consistorialibus, & præsertim, pro frequentiori, & quotidiana praxi, super illis, quæ in quolibet Consistorio fieri contingit, super prouisionibus ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Monasteriorum consistorialium; Et de consequenti, super reservationibus pensionu, quæ motu proprio per Papam, super eisdem Ecclesijs, vel Monasterijs fiant, pro personis tunc nominatis, vel imposturum ab ipso; vel ab aliquo Principe nominandis; Per Cardinalem Vicecancellarium, mediantibus officialibus, ac ministris ad id deputatis, adnotantur decreta, ultra cedulã quæ subscribitur per Cardinalem ponentem, & ex quibus tanquam ex matrice authentica, per Apostolicos scriptores, iuxta eorum formulas, efformantur literæ, quæ bullæ dicuntur sub plumbo, in eiusdem Vicecancellarij aula, seu palatio, quod Cancellariæ nomen seu vocabulum habet; Eodem,

modo quo per eiusdem Cancellariæ scriptores, & officiales, aliæ efformantur literæ super prouisionibus aliorum beneficiorum, necnon super Apostolicis dispensationibus, alijsque gratijs, & concessionibus, quæ fiant extra Consistorium, per organum Datarij, ex insinuatis in Rubrica præcedenti.

Vt autem huiusmodi literarum expeditio benè sequatur, omnibusque fraudibus, & inconuenientibus, quò magis pro humana conditione fieri potest, occurratur, plures instituti fuerunt huius Cancellariæ officiales, quorum aliqui sũt maiores Prælaturam annexam habentes, quales sunt, omnium primus ille, qui dicitur Cancellariæ Regens, ac etiam illi qui dicuntur Præsidentes de duplici parco maiori, ac minori, qui respectiue quoddam collegium, seu Tribunal constitunt, in quibus, collegialiter tanquam per speciem iudicij, deciduntur dubia, quæ oriri contingit, super literarum formula, vel clausulis, & decretis in eis adiciendis; Ac etiam super emolumentorum solutionibus alijsque contingentijs; Pluresque alij in magno numero adsunt officiales, quorum aliqui; Summistæ; Alij Scriptores; Alij Secretarij; Alij Plumbatores; Alij Equites; Alij Cubicularij, & scutiferi; Alij Prothonotarij; Alij Subdiaconi; Et alij, sub diuersis vocabulis nuncupantur.

Omnia verò ista officia sunt venalia, quando Papæ, vel Vicecancellario respectiue, non placeat eorum aliquod, gratis, alicui coniuncto, vel familiari, concedere, eorumque aliqua annexum habent exercitium, per ipsosmet officiales, aliqua verò per eorum substitutos, qui in eo ministerio sint periti; Venalitas autem, non prouenit ratione administrationis, sed ratione participationis annatarum, aliorumque emolumentorum, quæ pro literarum expeditionibus soluntur, iuxta huiusmodi officiorum venalium relationem, quæ in Regalium sede habetur. E

De annatarum, verò, aliorumque emolumentoru introductione, ac ratione, habetur actũ in sede rerum beneficialium, occasione agendi de quindennijs, quæ loco annatarum pro beneficijs vnitis, penes manus

A. supra disc. 3. & 4.

B. infra in eo disc. in quo agitur de Collegio Prothonotariorum.

C. Vestr. in prax. in cap. 4. p. 1. Amaydem de stylo Datarie cap. 2.

D. disc. 5.

E. de his officijs venalibus statè habetur, sub tit. de Regalib. disc. 2. qui videatur loco relationis.

RELATIO ROM. CVR. FORENSIS

manus mortuas solui debent . F

Tribus itaque, cuiuslibet hebdomadæ feriatis, ac non impeditis diebus, in præfati palatij Cancellariæ aula magna, alijsque adiacentibus ad id destinatis aulis, de mane congregantur dicti Cancellariæ officiales, Prælati, & non Prælati, in valde copioso numero, quorum singuli, pro suorum collegiorum qualitate, vel eorumdem collegiorum secretarij, alijsque ministri, quibus cappellanorum vocabulum de consuetudine congruit, habent bancos, vel pulpitos distinctos, in quibus literas subscribunt, vel registrant, aliaque gerunt, quæ de stylo, vel ex Apostolicis decretis in literarum expeditione gerenda sunt, ista occasione percipiendo emolumenta, quæ ad eos pertinent; Et consequenter; interueniunt etiam Camera, vel eandem Cancellariæ Notarij, qui recipiunt consensus, vel obligationes necessarias, vel consuetas; Ac etiam interueniunt negotiorum Datarie procuratores, vel sollicitatores, qui expeditores, vel speditionerij, nuncupantur, pro earumdem literarum expeditionibus; Et cum eis frequenter, ipsimet principales prouisi, vel eorum procuratores, seu negotiorum gestores, qui Agentes vulgò dicuntur, ad eum, species magni, & qualificati Tribunalis efformari videatur.

In eadem quoque prima aula magna huius Palatij, quæ vulgò, ad differentiam aliarum interiorum aularum sala nuncupatur, habentur etiam illæ publicæ disputationes, quas cum interuentu Collegij Cardinalium, pluriumque Prælatorum, & Curialium, ac etiam Aulicorum, & nobilium virorum, cum magna ceremoniali maiestate, sustinent illi, qui Rotæ Auditorio, vel Aduocatorum consistorialium Collegio sunt cooptandi, ut in eorum particularibus rubricis infra aduertitur.

Atque in dicto Rotæ Auditorio iste Cardinalis Vicecancellarius, quamdam licet solum habitualement, ac remotum præfidentiam habere videtur; Tum ob istam functionem, ac alias, quæ coram eo, siue in eius palatio, circa admissionem noui Auditoris fiunt; Tum etiam

quia in singulorum annorum Rotali sine, in die scilicet, in qua habeatur vltima vel penultima Rota ante vacationes generales æstiuas, ipse Vicecancellarius prandiū Rotæ Auditoribus in eius Palatio, ac mensa præbet, vltra aliud prandium, quod eis tribuitur in Palatio Apostolico nomine Papæ, & in quo eis eodem nomine præstatur quædam laborum recognitio scutorum centum auri, duplicatam portionem præstando Decano.

Regens item Cancellariæ, aliquam participationem habere quoque videtur in negotijs Rotalibus, alijsque forensibus causis commissarijs, quoniam in singulis commissionibus, quæ per vtranque Signaturam respectiue signantur, ad ipsum pertinet, nomen Auditoris, vel Cardinalis, seu Prælati respectiue, cui causa committatur adijcere, atque ita, cardinalitias, rotales, ac prælatitias causas, inter huiusmodi Collegiorum vel ordinum personas distribuit.

Generaliter quoque, notabilis est Vicecancellarij, eiusque officialium potestas, dum plerq; in litterarum Apostolicarum extensione addere vel accommodare, valent, quæ in supplicatione non contineantur; Quoties tamen huiusmodi additiones vel reformationes non percutiant, ea substantialia, quæ pendeant à voluntate Papæ, sed clausulas, quæ de stylo adijci solent, siue alia accidentalia, quæ ex quadam generali eiusdem Papæ commissione implicita, apponenda videantur pro meliori literarum extensione; His enim officialibus quoque; congruit idē quod disc. præced. insinuatū est de Dataria, quod scilicet Cancellaria, est etiam organum Papæ G. iuxta exemplum discursu præcedenti insinuatū, nēpē Notariorum, adijciendi in extensione Instrumenti publici, quod partibus tradendum est, clausulas, cautelas, & formulas, quæ substantiam voluntatis contrahentium non alterent, quamuis in matrice seu originali imbreuiatura non contineantur. H

Cumque in plerisque gratijs, adijci soleat decretum præcisè obligatorium ad expeditionem literarum infra certum

terminum, puta sex mensium, sub pena nullitatis gratiæ ipso iure incurrenda, vt præsertim praxis docet, in breuibus de capienda possessione nomine Camera, ac etiam in reservatione pensionis voluntariæ beneficio plenus; Hinc, in isto præsertim posteriori casu, occasio recens mihi præbuit disputare in Rota, an Vicecancellarius, eiusque Cancellariæ officiales, facultatem habeant, istum terminum prorogandi; Atque prodijt affirmatiua resolutio; Tum ex stylo; Tum etiam ex ratione, à qua idem stylus originatus videtur, quod scilicet huiusmodi decreta adijci solent in gratiam Annatistarū, aliorumque Cancellariæ officialium, pro eorum emolumentis, quæ obtinent ex causa onerosa, dum officia sunt venalia, et consequenter, vt non sit forma præcisæ pro solemnitate, sed pro interesse tertij, qui potest suo iuri cedere; Quamuis è conuerso non desint probabilia fundamenta in contrarium. H

Emolumentorum item, maior, vel minor assequutio, præsertim in grauibus, ac maioribus expeditionibus consistorialibus ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium vel Monasteriorum, (vt agendo de consistorio, & collegio Cardinalium super insinuatū est), I magnam habet dependentiam à Collegio Cardinalium, in cuius facultate, vel arbitrio reposita est, an gratiosa condonatio annatarum aliorumque emolumentorum, ex aliqua iusta causa, in toto, vel in parte faciendā sit, vt præsertim praxis docet in expeditionibus Ecclesiarum vltra montes præsertim Gallie, & Germanie, aliarumque regionum, in quibus, hæreticorum, vel schismaticorum, aut infidelium molestias, & iacturas Ecclesie passæ sint, ob quas in aliquo paupertatis vel angustie statu sicut constitutæ, idque huiusmodi gratijs, & condonationibus initium seu ansam dedit, quamuis, cessata etiam causa, ex quodam stylo, prætendatur continuatio.

Quid verò importent ducati auri de Camera, in quibus Datarie, & Can-

cellariæ, ac etiam Secretariæ breuium, emolumenta soluuntur, & quid importent floreni, sub quorum vocabulo, in libris Camera, ecclesie Cathedralis, & Metropolitanæ, & aliqua Monasteria, taxata reperiuntur in valore, in materia beneficiaria, ac alibi insinuatur, vbi videri potest, L. ideoque superflua digressio esset id repetere.

Quamuis item, penè omnia emolumenta expeditionum, taxam vniformem, habere videantur, à modernis scriptoribus de rebus Datarie insinuatam M; Aliquæ tamen materiae, seu gratiæ graues, & extraordinariæ, (quæ arbitrariæ dicuntur) istam taxam non habent, sed ea est maior vel minor, pro ipsarum gratiarum vel personarum aut temporum qualitate, & ex alijs circumstantijs, vt præsertim praxis docet in dispensationibus matrimonialibus in gradibus nimium proximis, super quibus rarò, & cum difficultate concedi solent, iuxta ea quæ insinuatur per dictos scriptores praxis Datarie, ac alios scriptores praxis dispensationum. N

Quamuis autem de hac solutione, ignarum, vel iniquum vulgus, obloqui soleat, quasi quod constituenda non sit differentia, inter diuites, & pauperes, vel inter nobiles, & ignobiles, seu magnates, & priuatos, cum apud Deum, & in spiritualibus, non detur acceptio personarū, quodq; si gratia est concedibilis, vel respectiue denegabilis, omnibus pariformiter deneganda vel respectiue concedenda sit gratis, iuxta naturam rerum spiritualium, non admittentium mixturā, vel commutationem temporalium, vt quod gratis acceptum est à Deo, gratis dari, vel dispensari debeat; Attamen, ignorantie, vel nequitie effectus, verè ista obloquentio est, cum huiusmodi emolumenta, pro laudalili stylo, nunquam, vel nimium rarò violari solito, in priuatam alicuius vtilitatem, non cedant, sed applicentur pijs operibus, illis præsertim, quæ fidei Catholicæ, & Ecclesie vniuersalis conseruationem, vel seruitium

F. sub tit. de benef. disc. 89.

G. decis. 115. par. 10. rec. Bich. decis. 234. n. 10. & in loco proximè infra. H. supra tit. de iudicijs, disc. 26. & 27.

H. tit. de pension. in supplemento in Romana pensionis. I. supra disc. 5.

P. 2. Relatio I con- L. de benef. disc. 5. & 89. & rit. de credito, disc. 140. M. Amayden. de stylo Datarie. N. Amayden. ubi supra, & Pirr. Corrad. in praxi dispensationum.

concernant, aduersus infideles, vel hæreticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem multæ seu poenæ delicti à potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur poenauitionis in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali etiam sordido, & mechanico seruitio, in fabrica Ecclesiæ Sancti Petri, vel in alio simili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo multæ personalis, vel pecuniariæ respectiue, alios terrendo, vel coercendo, vt ab ista consuetudine contrahendi matrimonia cum coniunctis abstineant, ideoque reuera iniusta obloquutio est.

De alijs verò, istam Cancellariam concernentibus, ad Expeditores potius, & puros practicos pertinet, nimiaque digressio, fortè nauseatiua esset, minutatim ea omnia recensere, eaque à stylo vt plurimum pendent, qui variari solet.



- 8 De auctoritate in Studio vel Sapiencia, et in iure doctorandi.
- 9 De potestate concedendi usum situum, plateæ Agonis, aliorumque publicorum locorum Urbis.
- 10 Quod sit officium magnæ existimationis apud populum Urbis, & quare.
- 11 De Auditore Camerarij, eiusque iurisdictione, & quod cognoscat causas fiscales seu Camerales, & Appaltatorum.
- 12 De causis retractuum, ac viarum, & publici ornatus.
- 13 Cognoscat causas mercatorum, & camporum.
- 14 Item causas hebreorum, & quas alias causas.
- 15 Proceditur in hoc tribunali per viam monitorij, & iuxta praxim aliorum Tribunalium.
- 16 Recipit propinuas, quod damnatur.
- 17 De quibus alijs causis cognoscat.
- 18 De auctoritate, & præminencia Camerarij sede vacante.
- 19 Quod quandoque istud officium soleat esse venale.
- 20 De ratione huius venalitatæ, quæ in alijs officijs primarijs Cardinalitijs non practicatur.

DISC XI.

De Cardinali Camerario, eiusque officialibus, & Tribunali.

S V M M A R I V M.

- 1 DE origine, & antiqua potestate huius Cardinalis Camerarij.
- 2 De officialibus, & ministris, quos habebat subordinatos.
- 3 De diminutione eius auctoritatis, & qualis hodie sit.
- 4 In quibus causis se non ingerat, dum eas cognoscant A. C. & Gubernator Urbis.
- 5 Quare dicti officiales sedeant in Camera, & cum quo voto.
- 6 De præminencia Gubernatoris Urbis.
- 7 Quam præsidenciam habeat Camerarius in Tribunali Camera.

1 **P**ost extinctam, aliàs magnæ potestatis, dignitatem Cardinalis Archidiaconi; Cum Papa, occupatus in cognitione causarum consistorialium, ac etiã aliarum, quas in cappella, cum Cappellanis cognoscebat, vacare non posset administrationi eius Camera, seu fisci, & cognitioni causarum fiscalium, quam cum aliquibus clericis habere solebat; Hinc eiusdem Camera administratione seu præsidenciam, vna cum dictis clericis, commisit Cardinali, qui Camerarius proinde appellari consuevit; Verùm paulatim iste officialis, iuxta rerum, ac temporum contingentias, ob Papæ commissiones, antiquam Archidiaconi potestatem penè in omnibus reassumpsit, præsertim circa temporale regimen immediatum Urbis, ac districtus; Ac etiam circa mediatum regimen ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici, in causis appel.